

regeneratos ad pœnitentiam vocari per verbum in ecclesia DEI resonans. Neque tunc prorsus auditus verbi excludi debet, quandoquidem non protinus ad actus reflexi præsentiam vel necessitatem valebit consequentia. Benedixerunt Jacobus & alii Patriarchæ filiis & nepotibus verbis ab ipsis auditis & a Spiritu S. ipso interdum consignatis: non tamen sequetur, puerulos omnes aut intellexisse ea aut mentem sibi revocasse instar adultorum. Valebat vero nihilominus benedictio Patriarchalis & valitura fuisset, tametsi filioli illi bimuli fuissent, neque dubium & Patriarchas verba sua eodem modo atque tenore ad ipsos pronuntiaturum fuisse. Neque aliter Christus assumpsit infantes, blandissimis excepit verbis & iis benedixit, procul dubio *alloquendo*, ut sermonem audirent, etiamsi intellectu instar adultorum minime assequerentur, & effectum nihilominus sortita est benedictio. *Modus vero, quo verbum auditum fuit applicatum*, nos omnino latet *Marc. X, 16.* Ut ita, quando *auditum verbi removere* videntur Nostrates ab Infantibus, non sine grano falsi intelligendi sint, nam aut loquuntur *de Infantibus nondum baptizatis*, in quibus Sacramentum Baptismi negotium conficit, non auditus verbi; tametsi ne hic quidem prorsus excludi queat: aut *de auditu cum intellectu ad verba pronunciata* instar adultorum attendente, conjuncto, qualis omnino excluditur. Id quod notandum putamus, ne Lector turbetur in lectione *LYSERI*, quando in discrimine inter adultorum & Infantum fidem constituendo inter alia negat, *hanc per verbum audibile produci p. 1440. & auditum verbi ad Infantes non pertinere scribit p. 1447.*

§. XIV. Quid itaque superest in Infante per baptismum regenerato quoad operationem Spiritus S. discriminis, quam *absentia, vel presentia actus interni reflexi & externi significativi*? Parum sane aut nihil. Videtur hoc